

certe iniqua fuit prima origo, & causa damni.

80. Quæst. 4. Au, si fur mittat dominum rem ablata per Confessarium, aut virum alium fidelem, & iste sibi forte reuinat, teneatur iterum restituere? Negant Soto, Castropalao, & alii, quibus mordicus adhæret Potestas, si fur id faciat ex pacto creditoris, sive tacito, sive explicito. Sed oppositum docet communis sententia, quia debitor obligatur reddere dominum indemnum efficaciter, & cum effectu. Et qui ex delicio debet alteri, tenetur ad omne damnum etiam fortuitum, quod domino evenit ex injusta acceptance: ergo quomodocumque res pereat, domino debet damnum resarciri. Quamvis autem dominus censeatur consentire, ut fur per alium restituat, non censemur remittere jus suum, donec debitum re vera persolvatur. V. Lugo de Just. d. 21. Sec. I.

81. Quæst. 5. Quando Reus morte plectitur, an hæres ejus teneatur restituere damna, quæ ille per crimen intulit? Affirmandum est, nisi condonare præsumantur ii, quibus illatum est damnum; præsumuntur autem condonare, quoties non repetunt; nisi res ablata adhuc extaret, vel ut ait Lugo, damnum esset valde grave. Nota, in dubio, an res sit aliena, possessori bonæ fidei nullam esse obligationem restituendi; secus vero malæ fidei possessori; ille tamen tenetur inquirere, ut viri prudentes, & meticulosi solent. Qui dubitat, bona fide rem possidens, an factus sit diutor; post diligentiam prudentem exhibitam, nihil tenetur restituere; atque idem dico de eo, qui dubitat, an

sit cooperatus alieno damnum, cum possessio sit pro libertate. Qui autem rem injuste accepit, dubitet autem, an sit materia gravis restituenda, an levis; debet gravem restituere, ne dominum exponat periculo grave detrimentum sustinendi.

TRACTATUS VII.

DE CONTRACTIBUS.

CAPUT I.

De contractibus in universum.

1. Quæst. 1. Quid, & quotuplex est contractus? Est pactum, sive consensus duorum, vel plurium quo scienter, libere, & legitime sese vicissim obligant, vel saltem una pars se alteri acceptanti obligat, quocumque signo externo id fiat. Ex. g. in mutuo ex una parte mutuans se obligat non repetere mutuum ante certum tempus; ex altera mutuarij sese obligat, tunc illud reddere, & sic de aliis contractibus. In promissione autem, vel donatione absoluta una pars obligatur tantum post alterius acceptationem.

2. Notandum hic, alios esse contractus nominatos ut emptio, mutuum, aliisque, proprium habentes nomen; alios innominatos, qui propria non habent nomina, & ad quatuor species referuntur ex l. naturalis, ff. de præscrip. Verb.

scilicet *do*, ut *des*: *facio* ut *facias*: *do*, ut *fa-*
cias: *facio*, ut *des*. Insuper alii dicuntur con-
tractus nudi, alii *vestiti*, nimirum stipulatione,
juramento. Pro *nudis* autem ut plurimum *actio-*
nō conceditur in *foro externo*.

3. *Quæst. 2.* Quot modis *contractus* perficiuntur? R. quatuor. 1. scilicet; *consensu*, ut in *emptione*, *locatione*, cet.: in quibus si de *scriptura* conveniatur, ista magis ad *probationem*, quam ad *constitutionem* deserviet, nisi partes intendant suspendere *consensum*, donec fiat *scriptura l. Contractus*, c. *de fide instrum.* 2. *contractus* perficitur *verbis*, prout in *stipulatione*. 3. *scriptura*, ut in *contractu census*. 4. *traditio-*
ne, ut sunt *mutuum*, *donatio*, *depositum*, *com-*
modatum, *pignus*; qui omnes *contractus*, nisi
tradita re, non perficiuntur. Hinc in *contra-*
tibus, qui solo *consensu* perficiuntur, nequit una
pars, altera *invita*, *resilire*; secus si *contractus*
scriptura, aut *traditione* indigeant. Ceterum in
foro conscientiæ contrahentium menti standum
est.

4. *Quæst. 3.* Quænam sunt necessariæ con-
ditiones, ut validum sit *pactum*, vel *contra-*
ctus? R. requiritur 1. *signum externum*. 2. *ac-*
ceptatio saltem alterius partis. 3. ut *contrahen-*
tes sint idonei ad *contrahendum*, nec *jus positi-*
tivum resistit. 4. ut *materia contractus* sit *licita*,
& *legitima*. 5. ut sit *contractus liber*, hoc est
sine vi, *dolo*, aut *errore* circa *substantiam ver-*
sante; ut si *acetum pro vino*, *vitrum pro gem-*
ma vendatur. Quod si *error* *versetur solum cir-*
ca qualitatem accidentariam, v. g. *emisti vinum*

Mosellananum, putans esse *Rhenauum*, *valida*
est venditio, nisi forte *contrahentis intentio*
fuerit conditionata, minime se *obligandi*, nisi
existente qualitate; tunc enim illa *circumstan-*
tia licet ex se accidentaria transit in substantiam
contractus. Denique ex defectu *idoneitatis in-*
validi sunt *contractus*, ab iis initi, qui *bonorum*
suorum administrationem non habent; qua-
les sunt *prodigi*, *furiosi*, *filii familias*, *uxo-*
res, *religiosi*, *pupilli*, *minores*, exceptis qui-
busdam casibus, de quibus infra dicemus.

5. *Quæst. 4.* An qui *externis signis contra-*
hit, sed absque *animo contrahendi*, in *conscienc-*
tia stare *debeat contractui*? R. neg. nisi in ali-
quo contractu oneroso, in quo pars altera *pactum*
suum implavit; tunc enim tu debes tuam
partem præstare, etiamsi *fictè promiseris*, ut
dictum est de stupratore, *fictè matrimonium*
promittente. Qui autem *habet animum quidem*
contrahendi, sed non *vult se obligare*, *juxta*
multos contractui obligatur; *sententia tamen*
probabilior id negat, quia *conditio apposita*,
contraria substantiæ contractus, *contractum in-*
validat: *qua ratione in c. fin. de condit. appos.*
dicitur, *conditionem*, *contrariam substantiæ*
matrimonii, illud reddere nullum, quainvis non
desit animus contrahendi. V. *dicta de juramen-*
to, & *voto*.

6. *Quæst. 5.* Utrum *contractus*, sine *debitis*
solemnitatibus celebratus, *obliget in conscienc-*
tia? R. *triplex* est *probabilis opinio*: 1. negant
quia leges irritantes tales contractus fundantur,
in præsumptione non solum doli, sed etiam pe-

riculi; & ideo potest lex humana contractus hujusmodi irritare, ut re ipsa Ecclesia irritavit clandestinum matrimonium. Ita Vazquez, Salmant. Lessius, & alii. Secunda sententia, quam iuetur Sotus, & S. Antoninus omnino affirmat, contractus illos obligare; quia lex humana, quamvis circa ipsos tollat actionem civilem, non tollit naturalem obligationem, ad quam sufficit partium consensio. 3. opinio, quæ mihi videtur probabilior, & in praxi tenenda, ait, in his contractibus præferendum esse possessorem, donec per sententiam judicis condemnetur ad restitutionem. Et probatur ex c. Cum sunt, de Reg. juris, ubi legitur: *cum sunt partium jure obscura, reo potius favendum est, quam actori.* Possessor autem stare debet sententia judicis, si ad restitutionem damnetur. V. Sanchez Consult. lib. 4. & Cabassut.

7. *Quæst. 6.* An inducant obligationem pacta de re turpi, puta de homicidio, furto, adulterio cer? R. 1. certum est, ante peccatum perpetratum nullum esse contractum, nullamque parere obligationem, quoniam justitia nequit obligare ad iniuriam; proindeque nec promittens tenetur stare pretio convento, nec alter illud retinere, dubitatur autem, an post opus illicitum præstitum sit obligatio solvendi pretium promissum, & alter possit illud retinere? Quoad meretrices est doctrina communis cum S. Thom. 2. 2. q. 32. ar. 7. ad 2. *Cum quis det meretrici propter fornicationem, mulier potest sibi retinere, quod ei datum est. Sed si superflue aliquid per fraudem aut dolum extorsisset, teneretur eidem*

restituere. Es constat ex lege 44. ff. de condit. ob turp. caus. Circa alia vero delicta multi probabiliter docent, nullam esse obligationem solvendi pretium pro illis pactum, nec posse ab altero jaste recipi, aut retineneri. Nihilominus communis, & probabilior sententia docet, teneri promittente solvere pretium, & contra, recipientem non obligari ad restitutionem. Ratio præcipua mihi est, quia in omni contractu oneroso: *do, ut d's; facio, ut facias,* lex naturalis dictat, quod cum quis ex parte sua pactum implevit, alter ax sua præstare debeat id, quod licite potest. Unde si alter opus promissum, licet illicitum peregit: teneris tu promissionem adimplere, quam licite potes; ut re vera potes sine peccato, & patet in solutione pretii promissi meretrici. Et quamvis actio illicita ex se nullo sit pretio æstimabilis; est tamen pretio digna, non quidem qua peccatum est; sed ratione laboris, periculi, aut ignominiae, præsertim accidente contractu oneroso, & posita jam ex una parte re promissa. Leges autem Civiles irritant hujusmodi pacta, ita ut in judicio promissa repeti non possint, sed non infirmant rei acquisitionem ex tali causa! V. Lugo de Just. dist. 18. n. 59. Nota, virum donantem aliquid feminæ ad extorquendam copulam, illa non concessa, non posse illam juste repetere, si donum fuit factum ad eam alliciendam; secus vero si pactum de copula præcessit, sive explicitum, sive implicitum.

8. *Quæst. 7.* Sitne validus contractus cum dolo, vel errore circa rei qualitatem, quæ de-

derit causam contractui; ita ut illo manifestato, pars non consensisset? Negant DD. aliqui, quibus adhæret Concinna, eo quod licet qualitas in esse physico sit quid accidentale, in esse tamen morali habet rationem substantiae. Oppositum tamen communius est, & probabilius; quia talis contractus neque invalidus est jure positivo, nec naturali. Non quidem naturali, cum ad validum contractum sufficiat voluntarius animus quoad substantiam, licet sit involuntarius quoad accidentia; nisi contrahens expresse consentiat sub conditione, si talis adsit circumstantia; quia tunc qualitas transit in substantia. Nec etiam positivo, cum ex Inst. l. 4. tit. 13. de Except. sic habeatur: *si metu coactus, aut dolo inductus, aut errore (intellige circa qualitatem) lapsus stipulanti Titio promisisti, quod non debueras promittere: palam est, te in jure civili obligatum esse, & actio, qua intenditur, dare te oportere efficax. est. Sed iniquum est, te condemnari, ideoque datur tibi exceptio, quod metus causa, aut dolis mali, cet.* Hinc DD. communiter tradunt, ita deceptum irritare posse contractum initum, & teneri deceptorem ad compensanda damaña ex deceptione orta ex l. 13. de act. empti. Quod si res adhuc sit integra, deceptus ex errore invincibili, ait Layman, non tenetur in conscientia implere contractum, etiam onerosum, postquam noverit veritatem, quae si nota ei fuisset, minime consensisset. Quando vero res integra non est, nempe si altera pars jam implevit, adhuc potes contractum rescindere, si illa fuit erroris conscientia; si vero conscientia non fuit, licet actionem

in judicio non habetas, potes eam in conscientia rescindere, modo res sit magni momenti, & deceptio fuerit causa contractus. Rationem dat Lessius, quia haec est tacita mens contrahentium, non se obligare ad contractum, quando sese deceptos deprehendunt in re magni momenti.

9. Quæst. 8. An contractus per metum gravem initus sit ipso facto invalidus? Comunissima, & probabilissima sententia DD. tradit, eum esse quidem rescindibilem, non vero invalidum, neque jure naturæ, nec positivo. Non naturali, quia metus non tollit simpliciter voluntarium, ut ait D. Th. 2. 2. q. 6. a. 6. Non positivo, dum in lege *si mulier, &c. de eo, quod metus, cet. præcipitur judicibus*, ut tales contractus rescindant: lex ergo habet eos ex se validos. Excipe tamen 1. matrimonium, quod jure positivo irritum est si fiat ex metu injusto, ex c. 15. de sponsal. 2. professionem religiosam c. 1. de iis, quæ vi, cet. Ratio pro utroque est, quia cum sit vinculum indissolubile, oportet esse perfecte voluntarium, & libertum. 3. promissionem dotis, vel ejus solutionem l. 21. ff. de eo quod metus causa; quia cum dos sit accessoria ad matrimonium, ejus naturam quodammodo sequitur. 4. promissionem, vel traditionem rerum Ecclesiæ c. 2. de jure jur., idque ad conservationem Ecclesiarum; quemadmodum alienatio prohibetur sine solemnitatibus facta. 3. jurisdictionem metu gravi extortam, ex l. 2. ff. de jud. Addunt aliqui sponsalia metu exorta, quia sunt via ad matrimonium; negant alii, cum lex solum de matrimoniis;

nio loquatur, licet facilius rescindi possint, quam alii contractus.

10. Quæst. 9. An gravem metum perpessus possit pro suo arbitrio rescindere contractum ante sententiam judicis? Négant aliqui, ne locus detur juriis, si unicuique liceat, rem repetere propria auctoritate. Affirmat tamen communis sententia, eo quod ille injuriam gravem accepit ab extorquenti per metum consensum, quem aliunde non dedisset: ergo ius habet recuperandi priorem libertatem, etiam ante omnem sententiam. Imo qui metum ad hunc finem inculsit, tenetur restituere rem extortam, dum ab alio repetitur; quod si nolit, potest iste sibi compensare. Ad metum autem gravem revocatur metus, qui dicitur *reverentialis*, qui includit timorem alicujus mali gravis imminentis, ut metus filii erga patrem, avum, aut curatorem, subditi erga superiorem, cet. Preces autem quantumvis importunæ non constituant metum gravem, nisi ad illas adjiciantur minæ, indignatio, torvus aspectus, verbera, aut similia.

11. Quod autem de metu gravi dictum est, intelligi debet pariter de metu *respective* gravi, scilicet timore alicujus mali, quod etsi non commoveat virum constantem, tamen feminæ, puero, aut seni, v. g. formidandum merito videtur, ut respectu ipsorum sit grave. Talis autem esse debet incussus ad finem extorquenti consensus, nam si metus sit alio fine incussus, non sufficit ad rescindendum contractum. Nec ad id sufficit metus ex justa causa incussus, cum in eo nulla injuria intercedat. Nec metus

levis, licet injustus in probabiliori sententia; quia non præsumitur consensisse ex metu, sed omnino sponte, qui solum metum levem passus, quem, cum facile potuerit, non rejecit. Sponsalia tamen, etiam ex levi metu inita rescindi possunt per judicis sententiam; quia, cum sint via ad nuptias, requirunt maiorem libertatem.

12. Quæst. 10. An si interfuerit metus gravis; & injustus, dans causam contractui, res autem pervenerat ad alium bonæ fidæ possesseorem; possit metum passus illam répetere, & ille teneatur restituere? R. affirm. cum Salm. Lugo, & aliis contra Layman, ex lege 14. §. de eo, quod metus causa: quia res ad illum transiit cum vitio suo, adeoque cum obligatione revertendi ad priorem dominum, revocato ipsius consensu. Idque etiam si metus non fuerit ab illo tertio incussus. Nam ut habetur lege cit. In hac actione non queritur, utrum is, qui convenitur, an alius metum. Sufficit enim, hoc dicere, metum illatum.

C A P U T . II.

De promissione, & donatione.

13. Quæst. 1. An simplex promissio de re gravi, si acceptata sit, obliget sub mortali? Non est quæstio de promissione onerosa, in qua omne acri imponitur, quæ pertinet ad alios contractus, sed de gratuita, qua res aliqua promittitur alteri, & iste acceptat. Nec du-

bium est promissionem aliquando ex accidenti posse graviter obligare; ut si promittas alteri dare mutuum, & ille promissionis tuæ confidens, aliunde sibi non prospiciat, & grave damnum patiatur. De simplici autem promissione secundum se spectata, S. Antoninus censuit, in re gravi graviter obligare; quia fidelitas promissa jus præbet ei, cui promittitur, ut ei res promissa trādatur. S. Antonino suffragantur Sanchez, Layman, & alii. Sunt, qui velint, totam obligationem promissionis pendere a mente promittentis, volentis sese obligare, vel nolentis. In dubio autem, an quis voluerit sibi impotierē obligationem, vel an gravem, vel levem; probabiliſſimum censeo cum Lugo, non esse obligandum; hisi sub levi. Imo valde probabilis est eorum sententia, qui docent, simplicem promissionem ex se non nisi leviter obligare. Atque id videtur docuisse S. Th. 2. 2. q. 88. art. 3. ad 1. dicens, promissionem obligare tantum secundum honestatem, non autem secundum jus civile, id est, secundum justitiam, ut explicant Salmant. Et in lege *juris gentium* §. si cum null. ff. de patis dicitur nudam pactionem non parere obligationem. Et hoc adhæret Concinna, sentiens, raro esse obligationem ex justitia in simplici promissione.

14. Duo tamen notare oportet: 1. etiam in sententia docente, gravem esse obligationem promissionis, multo plus requiri ad materiam gravem, quam in furto; quia promissor agit de proprio, fur de alieno. 2. promissionem, etiam acceptatam non obligare, si res

promissa reddatur postea impossibilis, aut nociva, aut inutilis, aut illicita. Uno verbo: quoties supervenit mutatio notabilis quæ si prævisa fuisset, non fuisset facta promissio; quia hæc præsumitur suisse mens promittentis. Constant ex D. Th. 2. 2. q. 110. art. 3. Si vero non faciat, quod promisit tunc videtur infideliter agere per hoc quod animum mutat. Potest tamen excusari ex duobus; uno modo, si promisit id, quod manifeste est illicitum... Alio modo si sint mutatae conditiones personalium, & negotiorum.

15. Quest. 2. Quid, & quotuplex est donatio? R. est gratuita rei, aut juris concessio. Ut donatio valeat, debet esse spontanea, sicut & promissio, nam nec ignorans nec invitus quisquam donat ex l. 10. Cod. de donat. Debet etiam acceptari ab eo, cui donatur; cum sit pactio, requirens consensum plurium ex lege 10. ff. de donat. Dividitur in realem, quæ fit cum traditione doni, unde transfert dominium in donatarium; & in verbalem, quæ fit solis verbis, & solum dat jus ad rem. 2. in pure liberalem, & prefectam, quæ in donante nullam præsupponit obligationem, ne quidem gratitudinis; & in remuneratoriam, & antidoralem, quæ supponit obligationem gratitudinis ob collocata obsequia, aut beneficia. 3. in donationem inter vivos, qua quis vult, ut res, se vivo, sit propria donatarii; & donationem mortis causa, cum quis sic rem donat, ut nolit, rem esse donatarii, nisi post mortem suam.

16. Quest. 3. Quinam sint inhabiles ad do-

nandum? 1. carentes usu rationis. 2. muti, & surdi nati, secus si tantum sint surdi, vel muti; vel licet utrumque, norint scribere. 3. Senes deliri, qui dicuntur his pueri; secus si sint iudicio vegeto. 4. pupilli, vel imipuberis, nisi ad pias causas; donationes tamen eorum sunt validae in foro conscientiae, eo modo, quo postea dicemus de contractibus. 5. dominatus criminis capitalis. 6. qui præsunt Civitatibus, Universitatibus, Reipub. cet. non possunt facere donationes ex bonis communib; nisi remuneratorias, aut in moderatas eleemosynas, uti & tutores, ac curatores.

17. Quæst. 4. An ære alieno oppressi donare possint, & an ab illis possit accipi donum? R. negant omnes, posse quempiam liberaliter alteri donare ex eo, quod necessarium est ad solvenda justitiae debita. Sed excusant multi a peccato eum, qui accipit donum a debitore, nisi induxit ad donandum, proindeque rediderit illum impotentem ad solvendum. Veritorum, & communior sententia cum S. Antonino, Lugo, Soto, & Salmant. docet, donatarium mala fide accipientem peccare contra justitiam, & teneri ad restituendum damnum, quod obveniat creditoribus. Est ratio autem impromptu, quia sicut donans peccat contra justitiam, si reddat se imparem solvendo, ut nemo dubitat; ita justitiam lèdit accipiens, qui positive concurrit ad actionem donantis injuste cum domino creditorum. Nota 1. ex jure positivo creditores infra annum a die scientiae actionem habent contra recipientem titulo sive lucrativo,

vo, sive oneroso, ad vindicandam rem scienter acceptam in ipsorum fraudem, nullo restituto pertio l. quia debitores, & aliis 2. nihil posse accipi titulo lucrativo per ultimam voluntatem a debitore in præjudicium creditorum. L. quia autem ff. quæ in fraudem.

18. Quæst. 3. An valida sit donatio inter conjuges? R. ex jure Civili invalida est, adeoque potest ab altero conjugum revocare. L. 5. ff. de donat. inter vir. & uxor. Potest tamen conjux retinere rem donatam, si donans sciat, & non contradicat. Semper tamen talis donatio juramento firmatur, ut docent Salmant. & alii: firmatur etiam morte donantis. Imo & ab initio validæ sunt donationes conjugum inter se modo sint remuneratoriæ, vel sint causa mortis; vel si uxor donet. ex: g. viro, ut munus aliquod, vel dignitatem obtineat.

19. Quæst. 6. An & quomodo sit valida donatio Patris facta filio? R. licet. ex lege 2. c. de inofficiosa donatione irrita sit donatio facta filio, sub patria potestate inanenti, potest esse valida variis de causis. 1. si firmetur juramento, vel morte patris. 2. si filius sit tantum naturalis, vel de fructibus peculi i adventitii filio donet; modo non ædat legitimam aliorum filiorum hereditatem. Quod si Pater officium emit filio, debet pretium computari in divisione cum fratribus. Secus autem, si gratis illud obtinuit, aut filio ob merita Patris donatum est.

20. Quæst. 7. An donatio ante acceptationem pariat obligationem? R. neg. cum communis DD. sententia, cum nequeat ulla contrahi

22. Demum notanda sunt sequentia. 1. mortuo donatario ante acceptationem, hæredes ejus nequeunt pro eo acceptare, nisi aliter præsumatur de mente donatoris. 2. per donationem verbalem non acquiritur jus in re ante traditionem, sed solum jus ad rem; vix enim differt a promissione. 3. donatio, aut remissio debitorum, superans summam 500. solidorum (quæ hodie valer summam 100. vel secundum alios 800. aureorum Italicorum) non valeat quoad hunc excessum; sed lege ita statuente ob commune bonum, potest a donatore repeti. L. 36. ced. de donat. Excipitur a multis donatio ad pias causas, aut si juramentum firmetur, vel fiat in remuneracionem beneficiorum. Idem dicendum est de donatione inter vivos omnium omnino bonorum, quæ improbatur a l. 61. ff. de verb. obligat.

23. 4. Si donationi modus apponatur tacite, vel expresse sine ulla obligatione, valet donatio, etsi finis non sequatur: secus vero si obligationem intendat, nec velit aliter donare. Hinc si quis munus dedit pueræ, ut ejus consensum ad malum extorqueret, etsi illa repugnet consensiui, valet donatio, nisi ille sub hac conditione expressa dedisset; quia præsumitur largitio liberalis ad eam alliciendam. 5. non valeat donatio ob causam præteritam, vel præsentem, quæ vere non est, cum sit error in substantia. Unde qui metiuntur se pauperes, cum re ipsa non sint, debent aliis pauperibus eleemosynam restituere. Aliud est, si error versetur circa causam minus præcipuam, ut v. g. si pauperes simulent sanctitatem ad hominum misericordiam provocandam.

obligatio a contrahentibus absque illorum consensu, adeoque possit ab illis revocari. Et quamvis aliquoru[m] ferat opinio, donationem ad pias causas ante acceptationem omnem valere, nec revocari posse; probabilius tamen id alii negant cum acceptatio ipso naturæ jure requiratur. Verum si donatio immediate sit facta Deo, v. g. *promitto Deo, dare tali Ecclesiae*: donatio, non secus ac votum, valida est ut notat Sanchez cum aliis: Qui notant etiam, donationem factam præsenti, & tacenti, censeri ab eo acceptatam. Sæpe etiam fieri potest ut quod uni promittitur, ab altero acceptetur, v. g. a parentibus pro filio; a tute[m] pro pupillo, a curatore pro minore, a Domino pro servo, a Monacho; aut Clerico præ monasterio suo, vel Ecclesia.

21. Quæst: 8. Utrum ante acceptationem revocari possit donatio, juramento firmata? Negant Layman, & Covarruv., eo quod jusjurandum, quandocunque potest sine peccato, servari. Debeat. Alii tamen communiter affirmant, nam juramentum sequitur naturam actus, scilicet donationis; quæ revocabilis est, donec acceptetur ex lege finali c. de non pecc.

Donatio facta absenti per nuntium, potest revocari, donec cofam nuntio acceptetur; si vero fiat per litteras, donec perveniant litteræ, vel nuntius acceptationis. Si is, qui donat alteri, moriatur ante istius acceptationem, probabilius est non valere donationem; cum voluntas donantis nequeat conjungi cum donatarii consensu, ad contractum necessario.

24. *Quæst.* 9. Quibus casibus donatio potest revocari? *R.* 1. donatio inter vivos tribus de causis revocari potest. 1. ob ingratitudinem donatarii, qui graves injurias inferat donanti, vel gravi ipsum danno afficiat, *L. ult. cod. de revocat. donat.* Sed ante judicis sententiam nulla est obligatio donationem restituendi; post eam vero etiam fructus perceptos post litis contestationem. Ab hæredibus non potest donatio revocari ob eam causam, si donator eam scivit, & tacuit; potest autem, si ipse ignoravit. Locum vero non habet revocatio in donationibus factis Ecclesiæ ob ingratitudinem Prælati, vel Clerici, cum Deo præcipue facta sit in bonum animæ testatoris. Secunda causa est ob prolem susceptam post factam donationem *L. 8. cod. de revoc. donat.* quia in facta donatione leges subintelligunt tacitam conditionem: *nisi nesciantur mihi liberi.* Unde si donatio facta sit extraneo, ex toto potest revocari; si facta sit alicui ascendentium, ut patri, vel avo, aut causis piis, revocari potest quantum opus est, ut filii legitima fruantr hæreditate. 3. causa est, si donatio fuit *inofficiosa*, id est, contra officium paternæ pietatis in filios; cum isti privantur parte hæreditatis legitima, quæ secundum leges ipsis debetur *L. 1. Cod. de inoffi. donat.*

25. *R.* 2. Donatio facta mortis causa tribus etiam de causis potest revocari. 1. si donatorem pœnitentia donationis. 2. si dedit ratione alicujus periculi impendentis, ex quo metui mortem; superato enim periculo, censetur tacite revocata donatio, ut si quis donet instante morte, vel

in gravi prælio. 3. si donatarius moriatur ante donationem, ipso jure revocata est, ut accidit in testamentiis, ac legatis. Quod si donator promiserit, se non revocaturum, censetur donatio inter vivos, quæ transit ad hæredes. In dubio autem utrum donatio sit inter vivos, an mortis causa; censenda est inter vivos, & irrevocabilis.

26. Animadvertunt autem DD. 1. donationem mortis causa fieri debere in præsentem ex l. cit. Nec valet in absentem sine nuntio ad hoc destinato, vel epistola; licet valeat ut fidei commissum, si fuerint exhibiti testes. 2. donare valide possunt ii, qui possunt testari; filii autem familias quamvis testari nequeant, donare possunt, consentiente Patre; imo sine hujus consensu donare possunt ex bonis castrensis, & probabiliter etiam de adventiis: quorum administrationem, & usum habent a Patre concessionem. Atque hoc modo valet etiam donatio minoris absque consensu sui Curatoris. Contra vero invalida est donatio usurarii, nisi prius usurris satisfecerit, vel cautionem præstiterit, nisi ad causas pias; nec valide donat qui a natura surdus est simul, & mutus; secus si aut surdus sit tantum, aut mutus, aut utrumque patiatur ex casu aliquo superveniente.

CAPUT III.

De Commodo, precario, & deposito.

27. *Quæst.* 1. Quid est commodatum? *R.* est contractus, quo res aliena quoad solum u-